



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod Hierosolymorum Ecclesiam, tertius post Simeonem Iustus rexerat.  
Cap. XXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



EVSEBII HISTORIAE

*Quod Romanorum Ecclesiam, quartus post Clementem Evaristus gubernavit.*

CAP. XXVIII.

**C**LEMENS vnus ex episcoporum Romanorum numero, cum nouem annis docendo verbo Dei diligentem curam adhibuisset, ministerio suo & officio Euaresto concredito, tertio anno huius, quem dixi, imperatoris diem suum obiit.

*Quod Hierosolymorum Ecclesiam, tertius post Simeonem Iustus rexerat.* CAP. XXIX.

**P**ORRÒ autem cum Simeon ad eum modum, què monstrauius, extremum spiritum martyrio effudisset, Hierosolymis sedem episcopalem, Iudæus quidam, nomine Iustus, vnus ex infinitis illis, qui erant ex circuncisione, quiq̃ ad fidem Christi id temporis se translulerant, proxime occupauit.

*De Ignatij martyrio, & eius epistolis.*

CAP. XXX.

**I**SDem temporibus Polycarpus, qui magna fuit cum Apostolis familiaritate & notitia coniunctus, in Asia floruit, & Smyrnenſis ecclesie episcopatum, eorum suffragiis, qui Dominum vidissent, quiq̃ eius fuissent ministri, obtinuit. Cuius ætate Papias ecclesie, quæ est Hierapoli, episcopus, magna fama & celebritate fuit: vir planè cum omnium aliarum artium scientia disertissimus, tum cognitionis sacrarum literarum non ignarus. Ignatius item, qui est ad nostram vsque memoriam multorum ore & sermone prædicatus, post Petrum successionem secundus episcopatum Antiochiæ sortitò capit, Fertur porro hunc ex Syria ad urbem Romam amandatum, bestiis prædam & laniatum, ob testimonium, quod Christo perhibuisset, esse proiectum.

Quin etiam cum iter per Asiam faceret, licet attentissima cura à Satellitibus, qui illum ductabant, obseruaretur, ecclesias tamen cuiusque ciuitatis, ad quam fortè proficisceretur, familiaribus colloquiis, piisque hortationibus confirmauit; ac primum vt hæreses, quæ